



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1711

§. I. Mea Mens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

licite eam sequi possum; quod tamen negant P. Thyrius, & alij: ergo Antiqui magis accedunt ad sententiam docentem licitum sequi minus tutam, etsi aequè probabilem, ac sit tutior, quam ad sententiam P. Thyrii, & aliorum negantium licitum sequi minus tutam, nisi sit *clare, evidenter, notorie*, probabilior: ita magis accedit pondus 9. librarum ponderi 12. quam pondus 12. ponderi 30. Antiqui adherentes licitum sequi minus tutam, si sit probabilior, magis accedunt nostræ sententiæ dicenti, licitum sequi minus tutam aequè, aut paulò minus probabilem tutiori, quam accedant sententiæ dicenti non licere sequi minus tutam, si sit aequè

probabilis; nec licere, si sit paulò probabilior tutiore; sed necesse est, ut sit evidenti excessu, & quidem tanto probabilior, ut tutior non sit probabilis operanti, ut docent Moderni Probabiliorista, quorum tota doctrina post varias ambages verborum eò tendit, ut velint, tunc tantum licitum sequi minus tutam, quando est certò moraliter vera, atque adeò quando tutior est certò moraliter falsa. Sed quis de hoc dubitare potuit, cum non tantum sit licitum, sed sit necessarium omittere tutiorem certò moraliter falsam, & sequi minus tutam certò moraliter veram?

DISPUTATIO XI.

Comparatur opinio magis tuta, magis probabilis, cum opinione minus tuta, minus probabilis.

N. 1. **D**EVENIMUS tandem, Deo auspice, ad præcipuum celeberrimæ quæstionis punctum. Diximus *scilicet*. 5. non esse ex præcepto sequendam opinionem non probabilem tutiorem, stante minus tuta unice probabili. Diximus *scilicet*. 6. non esse ex præcepto sequendam tutiorem minus probabilem, stante maiori probabilitate objectivâ opinionis minus tuta. Diximus *scilicet*. 7. non esse ex præcepto sequendam tutiorem aequè probabilem, stante æquali probabilitate objectivâ opinionis minus tuta. Videndum modò, an teneamur ex præcepto naturali sequi opinionem tutiorem simul & probabiliozem, stante minori probabilitate objectivâ opinionis minus tuta; an verò licite sequi possimus minus tutam minus probabilem, dummodò sit certò practicè, etsi minus probabilis?

adeò sibi probabiliozem, ut opposita sit sibi certò falsa, n. 3. Inter valde controversas vix datur moraliter certa, ibid. Quid dicat Neusser? Ibid. Nostra sententia est moraliter certa. DD. n. 5.

UNica conclusio: Semper, & in omni materia (in qua datur opinio certò practicè minus probabilis) licitum est sequi minus tutam, & minus probabilem practicè, stante maiori probabilitate objectivâ opinionis contrariæ tutioris, quotiescumque opinio minus tuta minus probabilis certò retinet suam securitatem, & practicam maiorem probabilitatem.

Dico, quotiescumque &c. si enim minus tuta non retineat maiorem probabilitatem, certum est non esse licitum sequi minus tutam minus probabilem, tunc enim tutior non tantum est probabilior, sed est certò moraliter vera: ergo minus tuta est certò moraliter falsa. Hinc non est mirum, quod Anti-Probabilista nostram conclusionem negent, quia confundunt probabilioritatem cum certitudine morali, etsi valde differant, quia certitudo moralis tollit omnem probabilitatem veritatis ab oppositâ; non ita omnis probabilioritas (nisi pertingat ad certitudinis morales gradum) tollit probabilitatem veritatis ab oppositâ. Vix autem inter opiniones hinc inde inter TT. æqualis sapientiæ, & doctrinæ controversas, reperire est

SECTIO I.

Mea, & sapientiorum aequè ac Sanctorum Doctorum mens.

§. I.

Mea Mens.

SUMMARIUM.

Ubi adeest opinio certò probabilis practicè, licet minus tuta minus probabilis, quoties suam securitatem, & probabilitatem retinet, n. 2. Est contra sapientiam Christianam putare suam

est aliquam, quæ reverâ sit moraliter certa, nisi illis, quibus omnes propriæ opiniones sunt moraliter certæ, alienæ autem sunt ipsædem improbabilis. Hoc autem quantum recedat ab humilitate, & Christianâ sapientiâ, & quantum nutriet intellectualem superbiam, & contumaciam, nemo est, qui non videat. Mihi sanè numquam in mentem veniet, quòd opinio S. Thomæ, quia meæ opponitur, non sit mihi probabilis. Idem dico de alienis classicorum DD. opinionibus; fautor meam mihi esse probabiliorem; non tamen ita, ut aliena non sit mihi probabilis, immò sæpissime judico alienam esse mihi probabilem: ergo nullatenus confundi debet probabilitas cum certitudine morali, cujus est excludere probabilitatem apud me alienæ opinionis; e contra pura probabilitas non excludit penes me probabilitatem alienæ opinionis.

Neusc. Sanè Neuster d. 1. qu. 20. pag. 15. ait, negari non posse assera integre Scholæ Thomisticæ, Scotisticæ, Nominalium, S. Bonav. inclytæ Societ. Jesu, esse certo, & evidenter probabilia, cum nullum repugnet principijs certis, & Societas viris eruditissimis, & pientissimis abundet, qui Ecclesiæ dogmata mirè illustrarunt: & l. c. n. 53. ait, quòd quando Scholarum Antelignani, Alex. de Ales, S. Thom. S. Bonav. Scotus asserunt, aliquid esse, vel non esse revelatum, licitum, aut illicitum, esse certò probabile, quòd res ita se habeat, nisi Ecclesia aliter definiat. Ratio est; quia dubitari nequit, quòd solo veritatis desiderio, ab omni sinistro affectu independenti, ducti gravi ratione fuerint ad aliquid decidendum, eorumque autoritas est ab Ecclesiâ commendata. Nam Alesius Summam Innocent. IV. confici jussit, eamque Septuagintaduo TT. approbarunt, & Alex. IV. eam omnibus Academijs docendam proposuit. De B. Thomâ satis elogium, *Bene scripsisti de me.* De D. Bonav. Sixtus IV. dixit, Spiritum S. in eo locutum. De Scoto satis quòd nulla ejus opinio a trecentis annis prodierit damnata, & Sacra Congregatio, teste Wadingo tom. 3. Annaliù anno 1308. publico Decreto præcipit librorum Censoribus, ut quidquid consiterit esse Scoti, maneat intactum. Hæc præclarus Scotista omnes commendans.

N. 4. Nostra conclusio est contra omnes Antiprobabilistas, sive sint Tutoristæ obligantes semper ad tutius, sive Probabilioristæ non obligantes semper ad tutius, attamen inter magis, & minus probabile obligantes semper ad probabilius. Sed est omnium ferè Doctorum, quorum plures dedi supra d.

10. à n. 156. ad 163. eamque in terminis tenet P. Teril. qu. 23. de Consc. n. 6. dicens: Universaliter tam in materia fidei, quam morum unicuique licitum est sequi quantumque directè minus probabilem, minusque tutam, etsi opposita credatur probabilior, & tutior. Sed sermo restringitur ad opiniones, cujus practica probabilitas est certa opinanti. Hæc P. Teril. & P. Carden. tom. 4. diss. 2. n. 10. ait, quòd formalissimè loquendo, possumus uti qualibet opinione practice probabili in eo sensu, quòd nulla est opinio practice probabilis, si exponit Sacramentum frustrationi. Idem expressè docent M. Joan. à S. Thomâ, & M. Tapia, quorum verba dedi supra d. 10. n. 157. 158. qui dicunt esse regulam generalem, & universaliter veram pro omni actione morali.

Adde nostram conclusionem vocari moraliter certam à P. Bresserò lib. 3. de Consc. cap. 6. P. Teril. qu. 22. P. Bardi in Selectis lib. 11. qu. unica, Herinx tom. 2. d. 4. n. 24. P. Card. tom. 1. d. 15. cap. 5. & tom. 3. d. 56. cap. 17. art. 3. P. Moya tom. 2. qu. 10. n. 15. M. Joan. à S. Thomâ 1.2. d. 12. art. 3. alijsque pluribus. Quòd valdè notandum est, talem enim judicari post exactam argumentorum contrariorum ponderationem, quæ, ut infra ostendemus, ab Adversarijs solvenda sunt, quia vel probant sequendam semper tutiorem, sive sit, sive non sit probabilis, vel sequendam semper probabiliorem, licet sit minus tuta, immò sequendam sæpe nullo modo probabilem, quia sequenda est propria, quæ sæpe nullam aliam habet probabilitatem, quam eam, quam amor proprius proprijs tribuit opinionibus. Scio, quòd Caram. in Dialecti pag. 345. non tantum conclusionem vocat omnino certam, sed initio in Apologem. Ep. 4. n. 115. pag. 62. dixit, quòd hæc propositio, *In materia fidei, & morum ad securitatem conscientie non sufficit opinio probabilis*, (hoc est, ita generaliter accepta, ut in nullo casu licitum sit juxta probabilem sententiam operari) est hæretica, quia imbibit hæreses Lutheri, Calvini, Baij, Jansenij, & quidem evidenter; nam occurreret casus, in quo homo necessariò peccaret; unum producit: fac ut jaceat moribundus, qui Christianè vixit, nullo tamen exteriori signo confessionem petijt; est probabile Parochum non posse eum absolvere; & est probabile debere eum absolvere: Parochus autem, sive absolvat, sive non absolvat, necessariò peccabit, quia operabitur juxta probabilem sententiam. Hæc Caram. quem laudo, non tamen censuram, ab his enim semper abstineo.